

dignitatis, exsurgens propter miseriam inopum et gemitum pauperum per fidem in sanguine ipsius propitiatorem proposuit Jesum Christum ad ostensionem iustitie sue propter remissionem precedentium delictorum in<sup>a)</sup> sustentatione<sup>a)</sup> dei, ut esset ipse iustus et iustificans eum qui ex fide est Jesu Christi, sine qua nullus potest iustificari omnino, cum testante propheta; iustus ex fide vivat. Proposita ergo hac via eundi ad deum vivum et verum, princeps mundi huius quorundam mentes infidelium execucavit, ut illuminatio evangelii glorie Christi in eos non valeat radiare, sed adhuc infidelitatis tenebris obvoluti non invocent dominum, qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate, quia omnis quicunque invocaverit nomen domini, salvus erit. Sed, quoniam, ut ait apostolus: Quomodo invocabunt in quem non crediderunt aut quomodo credent ei quem non audierunt vel quomodo audient sine predicante et quomodo predicabunt nisi mittantur, suscitavit deus spiritum dilecti filii . . . abbatis de Lakene<sup>b)</sup> ut ad paganos illos, qui circa vestras regiones existunt, a nobis, qui licet immeriti eius locum tenemus in terris, qui discipulis suis ait: rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, postularet<sup>c)</sup> transmitti<sup>c)</sup>, quatenus in eos aliquos manipulos colligat et in vitam eternam congreget sibi fructum. Cum enim ad partes illas pro quibusdam fratribus liberandis, qui ab ipsis paganis tenebantur alligati vinculis accessisset et dominus terre illius ipsum receperisset benigne ac dimisisset liberos eius fratres demonstrans eidem nihilominus beati martyris Alberti sepulcrum, elevatis oculis vidit, quod regio illa alba esset ad messem, sed falcem in eam mittere non est ausus, quoniam a nobis predicandi non acceperat potestatem; quare ad apostolicam sedem accedens nobis humiliter supplicavit, ut ipsum in messem domini mittere dignaremur. Nos igitur pium eius propositum in domino commendantes auctoritate sibi presentium duximus concedendum, ut evangelizet eisdem et fungens legatione pro Christo tamquam deo exhortante per eum obsecrat illos pro Christo, ut reconcilientur eidem. Verum quia messis quidem multa et operarius unus ad ipsius non sufficit missionem ipsi aucto-

<sup>a)</sup> Fehlt bei Winter. <sup>b)</sup> Winter Lankehim. <sup>c)</sup> Bei Winter durch Conjectur ergänzt.